

Ociositas A

Nullus fructus ocii, imo magis dispendium, ociosus Esau amisit primatus benedicionem, quia maluit cibum accipere quam querere.

Augustinus in epistola ad Vercellenum.

Ociositas B

Nichil in sancto proposito ocio deterius est quod non solum modo non acquirit nova, sed etiam per acta consumit, sancte vite ratio processu gaudet et crescit cessacione torpescit et deficit, quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est et vivendi hoc iter non de transacto sed de reliquo metiendum.

Hieronymus ad Demetriadem.

Ociositas C

Ocium parit fastidium, exercicium famem, fames autem miro modo dulcia reddit que fastidium facit insipida.

Hieronymus in epistola.

Ociositas D

Ociosum verbum est quod sine utilitate loquentis et audientis dicitur, sed qui de rebus frivolis loquitur et fabulas antiquas narrat, ceterum qui surrilia replicat et cachinis ora dissolvit et aliquid turpitudinis profert, hic non ociosis verbis sed criminosis tenebitur reus.

Hieronymus super Mattheum libro 1.

Ociositas E

Sed aliquid operis facito ut te diabolus inveniat occupatum, non enim facile capitur a diabolo qui bono vacat exercicio.

Hieronymus in sermone.

Ociocitas F

Omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines reddent de eo rationem in die iudicii, ociosum quippe verbum est, quod aut utilitate rectitudinis aut iuste necessitatis caret.

Gregorius in homelia 6.

Ociocitas G

Numquam Dei amor est ociosus, operatur enim magna si est, si vero operari renuit amor non est.

Gregorius ibidem.

Ociocitas H

Ociositas mater et nugarum, noverca omnium virtutum, ipsa enim est que virum fortem fortissime precipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem superbiam et viam construere ad gehennam.

Bernardus in sermone.

Ociocitas I

Si recte sapiens hortatur sapienciam scribi in ocio cavendum et in ocio ocium, fugienda proinde est ociositas mater nugarum noverca virtutum. Inter seculares nuge, nuge sunt, in ore sacerdotis blasphemie. Interdum tamen si incidant ferende, referende tamen numquam.

Bernardus de consideracione libro 2.

Ociocitas K

Sapienciam scribe in tempore ocii, ergo sapiencie ocia negocia sunt et quo ociosior sapiencia eo exercior in suo genere.

Bernardus super Cantica.

Ociocitas L

Subito procedenti de umbra ad solem, de ocio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit sed cum ab his dissuescere et ad illa se paulisper assuescere coeperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse quod impossibile ante putavit.

Bernardus.

Ociocitas M

Ociosum est quod nullam habet utilitatem vel utilitatis intencionem et effeminari facit ocium.

Bernardus in epistola.

Ociocitas N

Si propterea ociosum est verbum quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem de hoc reddere poterimus quod est preter rationem.

Bernardus in sermone.

Ociocitas O

Qui ociosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudem vivit.

Prosper de vita contemplativa.

Ociocitas P

Non dormientibus provenit regnum celorum nec ocio et desidia torpentibus beatitudo eternitatis ingeritur.

Leo papa in sermone.

Ociocitas Q

Mens ociosi nichil aliud cogitare novit quam de escis aut quam de ventre.

Iohannes Cassianus libro 10. de spiritu accidie.

Ociocitas R

Natura quidem humana sicut duris laboribus instruitur, ita per ocia torpencia fatuatur.

Cassiodorus in epistolis.

Ociocitas S

Ocium quod industrie et studio maxime contrarium videtur precipue subnecti debet, non quo evanescit virtus sed quo recreatur.

Valerius.

Ociocitas T

Solitudo est que virum fortem fortissime precipitat in reatum, ea enim mediante honestas impudicicie arma sua reddit, degenerat sanctores vite propositum et odorifere opinionis gloria damnabiliter evanescit.

Petrus Blesensis.

Ociocitas U

Ocium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura, omnia nobis mala solitudo persuadet circumspecte singulos, nemo est cui non sanctius sit cum quolibet esse quam secum.

Seneca.

Ociocitas X

Nullus michi per ocium dies exit, partem noctium studiis vendico, non vaco somno, sed succumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo.

Seneca 8. epistola.

Ociositas Y

Demetrius vitam ociosam et sine ullis fortune occursionibus mare mortuum reputat in ocio inconcusso iacere non est tranquillitas malicia est. Malo ut me fortuna in castris suis quam in deliciis habeat.

Seneca 68. epistola.

Ociositas Z

Gloriari ocio inhers ambicio est, vitam in odium ocium adducere solet.

Seneca epistola 19.

Ociositas &

Sunt quorum corpus innoxium est et in mille facinorum furias mens ociosa discurrit.

Seneca in proverbiiis.